

ut celebretur in gratiarum actionem, non requiritur ut Sacrum applicetur illi cui beneficium concessum est : siquidem gratiarum actio non tendit ex se in commodum agentis gratias, sed in honorem benefactoris. Quare, ubi celebratur ad certam intentionem ex fidelitate vel oboedientia, probabilius licet aliis intentionibus applicare fructus qui non tendunt directe in finem praescriptum, puta impetratorium, vel satisfactorium, quando celebrandum est in gratiarum actionem. Idem tamen non videtur dicendum de fructu impetratorio, quando pro defuncto celebrandum est : nam et iste fructus directe tendit ad finem praescriptum, ut modo dictum est. (Lugo, disp. 19. n. 193; Struggl, tr. 10. q. 2. n. 66 seqq.)

CAPUT II.

DE OBLIGATIONE CELEBRANDI.

223. Multiplici ex capite oriri potest in sacerdote obligatio celebrandi, vel simpliciter, vel ad intentionem determinatam. Singillatim agemus de obligationibus ortis ex ordine sacerdotali, animarum cura et Missarum stipendio : in his enim plura dubia et difficilia sunt. Potest oriri insuper eadem obligatio :

1º E beneficio simplici seu capellania. Regulariter capellanus Missas fundatione assignatas ad intentionem fundatoris applicare debet; quandoque tamen eas cuilibet, stipendio praeter redditus beneficii accepto, applicare potest, saltem si expresse fundator statuit hanc ipsi libertatem manere. (Bened. XIV, Inst. 56; Ball. P. n. 262) Plures quaestiones huc spectantes omitemus, utpote in regionibus nostris minus practicas.

2º E lege ecclesiastica. Ita Bened. XIV (Constit. *Cum semper alia*, 10 Aug. 1754) edixit " ut Missa conventualis, quae singulis diebus canitur a clero praedictarum (Cathedralium, Collegiatarum et Conventualium) ecclesiarum, pro earundem benefactoribus cotidie applicetur. "

3º E praecepto Superioris. Ita sacerdotes saeculares, curam animarum non gerentes, cogi possunt ab episcopo ut, dato stipendio, celebrent ubi Missae celebrandae a sacerdotibus curae animarum addictis non sufficiunt ut populus praecepto Missae audiendae satisfaciat : nam ex ipsa ordinatione, saltem remote, necessitatibus spiritualibus fidelium addicuntur. Cfr. Bened. XIV, Const. *Declarasti*, 16 Mart. 1746. Quanta sit potestas Superiorum Regularium in praecienda Missae celebratione vel applicatione, e singulorum Ordinum Constitutionibus probatisque consuetudinibus definiendum est.

§ I. DE OBLIGATIONE ORTA EX ORDINE SACERDOTALI.

224. Communior sententia, cum S. Th. (3. q. 82. a. 10) et S. Alph. (l. 6. n. 363), tenet gravem obligationem quandoque celebrandi, oriri e sola ratione sacerdotii suscepti; eidem tamen satisfieri si ter quaterve in anno diebus sat distantibus celebretur. Sed probabilis quoque est sententia contraria : sacerdotem praecise ex ordinatione sua non teneri, saltem sub gravi, ad celebrandum. Ita S. Bonav. (disp. 12. p. 2. a. 2. q. 1), et probabiliter censent Lugo (disp. 20. n. 2 seqq.), Ball. P. (n. 243), etc. Hi tamen fatentur plerumque ob rationem extrinsecam, nempe scandali, graviter peccare sacerdotes qui per integrum annum a celebrando abstinent ; nisi enim causa excusans manifesta esset, puta nimia scrupulositas, id facile redundaret in grave ordinis sacerdotalis vel christianae religionis dedecus. Subjiciemus rationes sententiae communioris una cum difficultatibus quas contra eas movent adversarii : unde patebit nullum argumentum certum afferri.

1º Arguunt e verbis Christi : *Hoc facite in meam commemorationem*, e quibus deducunt obligationem una cum potestate celebrandi in sacerdotibus oriri. — Sed certe non tam late patet obligatio quam potestas : secus esset cotidie celebrandum. Praecepto illi satisfieri videtur dummodo inter sacerdotes christianos aliqui sacrificium Missae jugiter offerant, juxta determinationem ab Ecclesia faciendam.

2º Idem probant ex officio sacerdotis, cujus munus est sacrificium pro populo offerre (Hebr. V, 1) : quare (aiunt) graviter peccat sacerdos non celebrando, sicut rex non regendo, et similia. — Verum e potestate collata male arguitur ad obligationem ea utendi, secluso speciali contractu vel aliorum indigentia. Ita nemo gravis culpa arguit sacerdotem qui numquam confessiones audit, si ejus opera non est necessaria.

3º Afferuntur verba Trid. (Sess. 23. c. 14. de ref.) : " Curet episcopus ut ii (presbyteri) saltem diebus Dominicis et festis sollemnibus... celebrent. " — Haec tamen verba directe ad episcopos spectant; presbyteris imponunt tantum obligationem parendi episcopo, qui hujusmodi decretum tulerit. Neque solet, in nostris regionibus, tale statutum ferri.

Omnium consensu, nulla lege divina aut ecclesiastica jubentur singuli sacerdotes singulis diebus celebrare. Attamen, ubi celebrationem omitunt, nulla rationabili causa ducti, saepe committent veniale peccatum, non quidem per se, sed ratione motivi minus recti quo ducuntur in omitenda actione qua facile summam gloriam Deo et ingentem Ecclesiae utilitatem procurare valeant. Sed, ubi motivo rationabili ducuntur, puta majoris praeparationis adhibendae, humilitatis, incommodi, etc. abstinentia illa non modo omni culpa vacare, sed laudabilis esse potest, ut patet

exemplo S. Ignatii Loiolensis, qui plus quam integrum annum a suscepto sacerdotio impendit praeparationi ad primitias dignius offerendas. Idem confirmatur usu Ecclesiae antiquae, in qua nequaquam vigeat usus noster cotidianae celebrationis. (Lugo, l. c. n. 12)

§ 2. DE OBLIGATIONE ORTA E CURA ANIMARUM.

225. I. Ex ipsa indole officii pastoralis oritur obligatio aliquando applicandi Missam fidelibus quorum cura geritur, seu **celebrandi pro grege**. Patet ex Epist. ad Hebr. (V, 1): "Omnis pontifex... pro hominibus constituitur in iis quae sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis." Quare et Trid. (Sess. 23. c. 1. de ref.): "Cum praecepto divino mandatum sit omnibus quibus cura animarum commissa est, oves suas agnoscere, pro his sacrificium offerre, etc."

II. Subjectum hujus obligationis, ex jure divino-naturali ortae, sunt:
1° Episcopi dioecesani (non mere titulares) et quidem absolute, siquidem officium pastorale in sua plenitudine exercent.

2° Parochi, sive saeculares, sive regulares. **Hi** tamen divino jure tantum hypothetice tenentur, nempe quatenus Ecclesia ipsis curam animarum cum aliqua obligatione committit et sine limitatione quae eos ab onere celebrandi pro grege liberet. (Act. S. S. t. 1. p. 392)

3° Quicumque ab auctoritate competente **deputantur** ut episcopi vel parochi *vices ex officio* gerant, puta administrator dioecesis cujus episcopus suspensus est, vicarius deputatus ab episcopo ut ecclesiae parochialis vacantis curam gerat. (Bened. XIV, Const. *Cum semper*, 19 Aug. 1744)

Pro his omnibus incipit ista obligatio a momento quo possessionem sumunt muneris cui animarum cura adnexa est, ex. gr. pro episcopo a momento quo Bullas Apostolicas capitulo exhibet. (S. C. R. 12 Nov. 1831; Coll. S. R. n. 2682, ad 22^{um})

Eidem obligationi minime subjacent:

1° Qui legitimis pastoribus opem ferunt, **non** autem eorum vices agunt, ut parochorum adjuutores, etiamsi **praefecti** sunt ecclesiis filiabus distinctum territorium habentibus, sed quae non sint paroeciae distinctae a matrice. (S. C. C. 9 Dec. 1865) **Similiter** hac lege minime tenentur capellani carcerum, nosocomiorum, **etc.** quamvis fidelibus sibi commissis independentem a parochis sacramenta ministrent. (S. C. C. 2 Jun. 1860)

2° Qui *ex mera caritate* pastoralia officia exercent in populo qui pastore caret, ex. gr. in parochia cujus parochus infirmatur, peregrinatur,

etc. Iis accensendi sunt Vicarii Apostolici et missionarii, modo non sint missi ad gerendas vices legitimorum pastorum in locis in quibus jam erectae sint dioeceses et paroeciae: tales neque ex caritate tenentur ad hoc onus subeundum, quamvis sane deceat ut quandoque pro ovibus suis celebrent. (S. C. P. F. 23 Mart. 1863; Coll. P. F. n. 205) Hinc a tali obligatione immunes sunt presbyteri in Stat. Foed. Amer., paucis exceptis qui paroeciis in provincia S. Francisci canonice erectis praesunt. (Sabetti, Th. Mor. n. 710)

Superiores Regulares certe non comprehenduntur legibus quas Ecclesia de hoc argumento tulit. (S. C. C. 25 Jul. 1859; N. R. Th. t. 19. p. 485) Sed dubium est num jure divino hypothetico teneantur ad celebrandum aliquotiens pro grege. Quidam, ut Lehm. (II. n. 195), affirmandum putant, quia Ecclesia ipsis majorem partem pastoralis curae quam parochis commisit: habent enim jurisdictionem etiam in foro externo. Sed Vicarii Apostolici adhuc pleniore sensu pastorem curam exercent, nec tamen hac obligatione premuntur. Haec igitur tota pendet, quoad inferiores pastores, a voluntate Ecclesiae. Jamvero cum Praelati Regulares praetermissi sint in plurimis documentis quibus haec obligatio determinata est, valde verisimile est Ecclesiam illis curam animarum sine hoc onere commisisse. Practice tamen *deceat* quam maxime ut interdum pro subditis litent.

226. III. Tempus, quo urgeat haec obligatio celebrandi pro grege, RR. PP. pluribus Constit. determinarunt. Urget nempe omnibus diebus Dominicis et iis quos Urbanus VIII (Const. *Universa*, 5 Sept. 1642) tamquam festos celebrandos decrevit, nempe "Nativitatis D. N. J. C., Circumcisionis, Epiphaniae, Resurrectionis cum duabus sequentibus feriis, Ascensionis, Pentecostes cum duabus pariter sequentibus feriis, SS. Trinitatis, Sollemnitatis Corporis Christi et Inventionis S. Crucis, necnon festivitatum Purificationis, Annuntiationis, Assumptionis et Nativitatis Deiparae Virginis, Dedicationis S. Michaelis Archangeli, Nativ. S. Joann. Baptistae, SS. Petri et Pauli, S. Andreae, S. Jacobi, S. Joannis, S. Thomae, SS. Philippi et Jacobi, S. Bartholomaei, S. Matthaei, SS. Simonis et Judae et S. Matthiae, Christi Dñi Apostolorum, item S. Stephani Protomartyris, SS. Innocentium, S. Laurentii Martyris, S. Sylvestri Papae et Confessoris, S. Josephi etiam Confessoris et S. Annae, Deiparae respective sponsi et genitricis, Sollemnitatis Omnium Sanctorum, atque unius ex principalioribus Patronis in quocumque regno sive provincia, et alterius pariter principalioris in quacumque civitate, oppido vel pago, ubi hos patronos haberi et venerari contigerit." Adde, ex decreto Clementis XI (6 Dec. 1708), Immac. Cone. B. M. V. Recentius eadem confirmavit Pius IX, Const. *Amantissimi*, 3 Maii 1858.

Manet haec obligatio omnibus illis diebus, etiamsi in quibusdam populo indultum fuit a S. Sede ut, sublata prohibitione operum servilium, Missa tantum audiatur (Bened. XIV Const. cit.), vel insuper ipsa Missae audiendae obligatio sublata est; immo etiamsi sollemnitatis festi translata est ad sequentem Dominicam, ut fit in Gallia et Belgio, pro quibusdam festis, ex. gr. Epiphaniae. Excipitur tantum casus quo, una cum sollemnitate, divinum officium translatum fuerit in Dominicam diem. (Pii IX Const. cit.) Si autem officium tantum transfertur, manet applicanda Missa eo die quo sollemnitatis celebratur; sed si eo die alia quoque festivitas celebratur, utriusque unius Missae applicatione fit satis. (S. C. C. 24 Apr. 1875 et 28 Apr. 1888; Act. S. S. t. 21. p. 152)

Ex Const. Leonis XIII (10 Jun. 1882), eadem dierum determinatio servanda est ab episcopis dioecesanis et abbatibus, qui jurisdictionem quasi-episcopalem in territorium *nullius dioecesis* exercent. Discrimen unicum eodem documento stabilitur inter parochos et episcopos: hi enim, si duabus dioecesibus aequae principaliter unitis praesunt, satisfaciunt unico Sacro in singulis festis celebrato, dum parochi duabus paroeciis praepositi (nisi unio sit plenaria et exstinctiva ita ut jam in unam paroeciam redactae fuerint) duo Sacra pro populo applicare debent. (S. C. C. 12 Martii 1774)

227. IV. Principalis obligatio in eo est quod pro populo celebretur: et haec certe gravis est. Huic accedunt determinationes minoris momenti: nempe ut celebretur *per se*, non per alium; — *die praefixo*, non alio quovis; et, si de paroco agitur, *in ecclesia parochiali*. Haec crebro omittere, mortalis culpa; raro, levis videtur. (Lehm. II. n. 196)

Quandoque tamen, ob justas causas, hae accidentales determinationes omitti possunt. Sic:

1° Potest quandoque parochus, ob justam et legitimam causam, Missam pro populo alii committere celebrandam. (S. C. R. 22 Jul. 1848; Coll. S. R. n. 2967) Attamen severas se exhibent SS. CC. in hac causa probanda. Sic S. C. C. 9 Apr. 1881 (Coll. P. F. n. 211) noluit permittere ut parochus, multis curis distentus, *frequenter* alii committeret celebrationem Missae pro populo, quae in hac regione cantari solebat. Idem antea (26 Jan. 1771) responderat de casu quo essent celebrandae exsequiae, praesente cadavere.

2° Paroco egenti concedere potest episcopus ut die quo pro grege celebrare debet, accipiat stipendium et pro isto applicet Missam, dummodo celebret in ecclesia parochiali et postea Missam pro populo applicet. Numquam tamen reddituum exiguitas vel consuetudo contraria ipsam obligationem celebrandi pro grege tollere potest. (Bened. XIV Const. cit.) Sed quandoque S. Sedes, indulto concessa, parochi egentis obligationem temperat.

3° Parochus, die festo legitime absens, satisfacit celebrando pro grege ubi versatur, dummodo alius sacerdos in ecclesia parochiali pro populo commoditate celebret. Potest etiam, si malit, curam applicandi Sacri huic alii sacerdoti committere. (S. C. C. 14 Dec. 1872; Coll. P. F. n. 207)

4° Non tenetur parochus ad Missam pro grege cantandam, nisi episcopus jusserit ut Missa sollemnis a paroco celebretur. (Gury, II. n. 363)

V. Parochus, utcumque impeditus quominus celebret (ex. gr. ob infirmitatem), tenetur curare ut Missa die festo per alium in ecclesia parochiali celebretur et pro populo applicetur; quod si non factum fuit, tenetur Missam pro populo quamprimum celebrare. (S. C. C. resp. cit.) Ita sentit S. Alph. (n. 326), eo quod obligatio applicandi Missam non tantum personalis, sed et realis est, utpote una ex obligationibus muneris pastoris adnexis, et concordant fere omnes recentiores. (D'Annib. III. n. 169; Berardi, de Paroco, n. 97 seqq., etc.) (1) Poterit etiam episcopus praecipere parochis aliisque sacerdotibus curae animarum addictis ut diebus in catalogo Urbani VIII non indicatis celebrent si, ob mores receptos aliamve rationem, id necessarium duxerit ut munus ab iis sacerdotibus susceptum convenienter impleatur.

§ 3. DE OBLIGATIONE ORTA E STIPENDIO.

228. I. Licet sacerdoti se *ex justitia obligare* ad Missam applicandam ad intentionem illius a quo stipendium seu eleemosynam accepit.

Id indubie constat e consuetudine, quae jam a pluribus saeculis in universa Ecclesia recepta est. (Bened. XIV, de Syn. l. 5. c. 8) Hanc praxim ab omni simonia immunem esse, inde patet quod stipendium non accipitur tamquam Missae pretium, sed ad sustentationem ministri: qui proinde, vero sensu, gratis celebrare dicendus est. (Lugo, disp. 21. n. 13) Immo aequum erat ut obligatio alendi sacerdotes, quae cunctis fidelibus incumbit (Vol. I. n. 434), praesertim impleatur ab iis qui specialem fructum ex eorum ministerio optarent. Fit igitur, inter dantem et accipientem stipendium, contractus, non permutationis, sed innominatus: *Do ut facias*.

Neque obstat sacerdotem jam forte habere unde vivat, sive e propriis bonis, sive ex aliis redditibus ecclesiasticis: nam nemo tenetur

(1) Dubitat Ball. P. (tr. 6. sect. 4. n. 80) num haec obligatio adsit: sed hoc dubium jam non videtur probabile, praesertim post responsum citatum S. C. C. quod apud Ball. P. (l. c.) non refertur.